

08  
Ge

J. O. 590.

2

Fortunante Christo!  
**EXERCITATIONUM ETHICARUM**  
*ad Ethicor. Aristot. Nicomachior.*  
LIBRUM I.  
P R I M A  
DE  
**SUMMO BONO,**  
PRÆSIDE  
DN.  
**FRIDERICO CAHLENO**  
M. & P. L. C. Gymn. Hall.  
Rector,  
Respondente  
**JOHANNE BAPTISTA RITTERO**  
Hallensi Saxone  
Academiam capessente,  
Habenda D. Augusti  
A. O. R. clo. loc. lv.,  
H. L. Q; S.  
¶)‡‡‡‡‡‡‡‡‡‡‡‡‡‡‡‡(¶  
Prelo OELSCHLEGELIANO.

VIRIS  
Nobilissimis, Magnificis, Plurimum  
Reverendo, Excellentissimis  
Reverendissimi, Illustrissimi, ac Celsissimi  
Principis ac Domini,  
**DN. AUGUSTI,**  
P. Administ. A. M. Procancellario, Con-  
siliariis, Judicij Salinarum Halensium  
Præfidi, Concionatori aulico,  
ac Alumnorum Ephoro.

*Dn. JOHANNI KRULLEN, J.U.D.  
Dn. GEBHARDO ab ALVENS-*

*LEBEN, Hereditario in Neu-  
Batterseben.*


*Dn. MICHAELI König, J.U.D.*

*Dn. JOHANNI OLEARIO,  
SS. Th. D.*

*Dnis Patronis, Mæcenatibus, Evergetis &  
Promotoribus perpetuâ animi submissio-  
ne & pietatis curâ suspiciendis*

*Hanc Exercitationis Ethicæ περὶ τῶν οὐ-  
πίσιων in obsequii testimonium &  
favoris incentivum  
submissè inscribit*

*RESPONDENS.*



ΔΟΣ ΘΕΟΣ !

ΠΡΟΔΙΔΑΣΚΑΛΙΑ ΑΝΑΛΤΙΚΗ

LIBRI PRIMI ETHIC.

NICOMACHIOR.

**E**xplícatis Ethicis Aristótelicis  
Nicomachiana Præcognitio, ad ipsas  
Præcepta propriū bono cum DÉO acce-  
dimus, consideraturi modo cum Philo-  
sopho, FINE M h. e. summum Bonum, de  
quo ipse Libro I. agit, & quidem partim quoad  
Præcognita, partim quoad Præcepta. Pre-  
cognita habent tum Generalia, de Fine, quæ  
vel essentialia, tum quoad existentiā, quod  
detur aliquis finis, tum quoad differentiam,  
quod finis alius sit ἀρέσκεια, alius ἔργον, item ali-  
ius intermedium, alius ultimus. cap. 1. Et de po-  
steriore Speciatim, quod detur ultimus finis  
cap. 2. Vel Circumstantia, seu accidenta-  
lia, partim de tradendi modo seu methodo,

C 2

partim

32.

partim de Auditore idoneo. c. 3. Praecepta sunt vel de ipso Summo Bono, vel de ejusdem Subjecto. De illo agitur partim separatae seu remotivè, idque tum indirectè, quare et sint discrepantes opiniones de Summo Bono, quia nimirum sunt diversa Vite & hominum genera. c. 4. tum directè, quod S. B. non sit 1. in voluptate, 2. honore, 3. divitiis, 4. habitu virtutis c. 5. nec deniq; in Ideis Platoniciis c. 6. partim definitivè seu assertivè, quod sit in operazione secundum virtutem. Idq; vel quoad antecedentia, tum totaliter, quoad definitionem. c. 7. tum partialiter, quoad definitionis explicationem; & vel respectu Generis, quare sit operatio: vel Differentiae, quare secundum virtutem, c. 8. vel deniq; causæ efficiētis, de quā tum affirmativè, quod sit à DEO, tum negativè, quod non sit à fortuna. c. 9.

Vel quoad consequentia, affectionibus vel externis, partim temporis, quod S. B. possit acquiri in hac vita. c. 10. tum relatorum, an pertineant ad illud parentes & amici. c. 11. tum denique qualitatis, quod sit bonum honorabile c. 12. Vel internis, ratione subjecti, quod animus noster possit considerari ab Ethico. c. 13. Hac generali delineatione Lib. I. premissa præcipuas

33  
cīpus singulorum Capitum theses nunc porrā  
delibabimus, cī conatu nostro DEUS feliciter  
succurrat!

TH. I.

**R**Et ē inchoat Aristoteles do- Ca.  
Etrinam moralem ab ēudāmo-  
voloγίᾳ , sive doctrina de  
summo Bono.

"Exīstōs. Quia est doctrina practica,  
ad eo que ad actionem referenda: in omni-  
bus verò actionibus præcipuè consideran-  
dus est finis, qui dat modum & mensuram  
actioni. 2. quia finis in actionibus habet  
rationem principij Arist. 6. Eth. c. 5. Est  
enim primum in intentione & ultimum in  
execuzione. Oportet igitur summum  
Bonum, tanquam finem , esse præcogni-  
tum, antequam de mediis ad illud conse-  
quendum idoneis agatur.

TH. II.

**D**atur aliquis finis rerum & actio-  
num humanarum.

"Exīstōs. Quia cuius aliquid bonum est,  
cīus etiam aliquis finis est: ratio consecq. est,

C 3

quia

34

quia finis & bonum coincidunt. Atqui actionum humanarum est aliquod bonum. E. earum quoque est aliquis finis. Min. prob. quia in omni arte & disciplinâ expetitur aliquod bonum: ergo etiam aliquis finis. Probatur hoc tum ex Boni definitione: Bonum enim est, quod omnia expectunt: τέλος οὐκέτι, ἢ πάντα εἰσεπειτα. tum exemplorum & testimoniorum inductione.

TH. III.

**N**on est unus, sed plures fines actionum humanarum.

Ex. 1. Quia quædam actiones humanæ referuntur ad alias actiones, tanquam ad finem, qui dicitur ἔργον seu opus: quædam verò in sola operatione acquiescunt, & dicuntur ἔργα. Ut igitur opus ipsum & operatio seu actio diversa sunt: ita etiam diversi sunt fines. 2. Quia fines alij sunt ultimi, seu architektonici, ad quos omnia referuntur: alij intermedij, qui ad ultimum illum consequendum diriguntur. Unde consequitur, fines, qui dicuntur ἔργα, esse præstantiores finibus, qui dicuntur ἔργη,

&

& ultimum esse præstantiorum interme-  
diis. 35

TH. IV.

**D**atur aliquis ultimus finis actio-  
num humanarum. C.

**E**xg. 1. Quia datur aliquid propter  
se expetibile, & cuius gratia omnia expe-  
tuntur: ergo datur quoque finis ultimus,  
qui est summum bonum. 2. Aliás enim  
appetitus noster progrederetur in infini-  
tum, dum non haberet, in quo acquiesce-  
ret. At verò hoc est absurdum: *Aristot.*  
*lib. 2. Met. c. 2.* ergo & illud. Imò appeti-  
tus planè esset vanus & irritus, quod itidem  
non dicendum. Cùm DEUS & natura  
nil faciant frustra.

TH. V.

**C**onsideratio ultimi finis pertinet  
ad Philosophiam moralēm.

**E**xg. Ut hæc consideratio multum  
prodest ad vitam rectè instituendam, quan-  
doquidem ad summiboni consecutionem,  
tanquam ad communem scopum, actiones  
humanæ dirigendæ sunt: Ita pertinet non  
sisi ad illam disciplinam, quæ præstantissi-

C. 4

ma

ma est. Talis autem est Ethica: (generaliter accepto vocabulo, pro totâ Philosophia practica: Ergò. Min. prob.). quia aliis Scientiis & artibus præscribit modum, quatenus sint tolerandæ & excolendæ. 2. quia præstantissimas sub se complextitur, vid. artem militarem, Oeconomicam, Rhetoriam. 3. harum ministerio utitur. 4. & carum fines sub se comprehendit.

## TH. VI.

<sup>3.</sup> **N**on omnis juvenis est idoneus auditor Ethices c.3.

**E**x. **A**ndentur exactæ Demonstrationes in Ethicis, nec ne, quia superiori Exercitat. ch. 22. p. 24. cum Aristotele negatum probatum quededitus, hoc loco repetere superseedemus; de Auditore idoneo præceptorum Ethicorum thesin nostram confirmantes: Constituit autem Philosophus Juvenem duplicem, νέον τὴν ἡλικίαν, νέον τὸ οὐρανόν, i.e. Juvenem etate, & juvenem moribus. Ille est, qui ratione utitur, impetum affectuum sentit, & disciplinam admittit: Hic verò, qui luxuriatur, nullam rationis & appetitus pugnam sentit.

37

tit, & licet plures habeat annos, ob affectuū imperium tamen quāvis admonitiones negligit. Et tales possunt etiam esse senes, intellectu & affectibus similes juvenibus. Hi posteriores non sunt apti auditores Ethicae 1. quia sunt ἀπειροι τῶν κτερῶν Κίονων οὐκέτης h. e. destituuntur experientia rerum in vita humanâ, nec possunt exactè de his judicium ferre. 2. quia propter affectus, quibus indulgent, præcepta ad usum transferre nequeunt. Bona verò actio moralis non potest cum perturbationibus animi consistere.

### TH. VII.

**O**fficium auditoris Ethici consistit in tribus.

Exd. 1. Ut habeat notitiam honestorum ac turpium. 2. ut sit amans honestatis. 3. ut cupiat bonis præceptis obtenere, facere honesta & vitare turpia.

### TH. VIII.

**G**enera hominum, iuxta Hesiodum, tria sunt:

Exd. I. Eorum, qui ex seipsis sapiunt, & agunt ea, quæ recta & honesta sunt, & di-

cun-

cuntur περιέργαι i.e. optimi. II. Eorum, qui ex se quidem non sapiunt, bene monentibus tamen obtemperant & sunt ἐπιμέτοι. i.e. laudabiles. III. Eorum, qui nec ex se sapiunt, nec bene monentibus obtemperant, & dicuntur ἀχρήσιοι. i.e. inutiles. Quod sic ex Greco reddimus:

Optimus est uis, qui sese sapit ipse magistro:  
Digna laude venit, qui paret recta monentie.  
Sed stolidus, nec jussa sequens, vir inutilis ex-  
stat.

## TH. IX.

**D**E Summo Bono varie & discre-  
pantes sunt opiniones.

Ex. Ultimum finem sive summum Bonum esse εὐδαίμονίαν seu beatitudinem aut felicitatem, apud omnes in confessu est. Sed quodnam hujus objectum sit, sive in quo sit ponenda præcipue illa beatitudo, in eo non omnes æquè consentiunt. Causam adsignat Aristoteles, quia diversa sunt hominum genera, alij enim sunt docti, alij indocti, alij divites, alij potentes etc. qui diversimode de S.B. judicant.

## TH. X.

## TH. X.

**Q**uartuor sunt, juxta Aristotelem,  
vitæ genera.

Ex<sup>d</sup>. Intelligit μάλιστε τρεῖς οὐτε, ma-  
ximè conspicua. Namrum i. ἀπλαυστ-  
ὸν, Voluptuosum, Summum B. ponens in  
voluptate. 2. πληνκόν, civile & ambitio-  
sum, S.B. in honore : 3. θεορητικόν, contemplati-  
vum, S.B. in contemplatione, & 4. χρηματι-  
κόν, quæstuosum, S.B. in divitiis collocans.

## TH. XI.

**V**oluptas non est summum Bonum.

Ex<sup>d</sup>. Quia 1. debet esse bonum pro-  
prium : Voluptas vero est communis ho-  
minicūm bestiis. 2. debet hominem per-  
ficerē & meliorē reddere : Voluptas ve-  
ro eundem facit deteriorē, scil. Φορτικόν,  
importunum ac stolidum: imò αὐδεραποδώδη  
servilem, & indignum liberali hominū  
ingenuorum commercio. Causē vero,  
cur plerique sectentur voluptatem, sunt i. quia  
illa est amica naturæ & grata sensibus. 2.  
quia exemplis Magnatum voluptatibus  
deditorum invitantur, uti Sardanapali, He-  
liogabali & aliorum.

## TH. XII.

40

TH. XII.

**H**onor non est Summum Bonum.

*Exd.* Quia 1. non est bonum proprium, *ιστὶ γὰρ ἡ τοῖς Ἰησοῦς μάθητας, οὐ δὲ τῷ Ἰησοῦς εἶναι*, magis est honorantis, quam honorati. 2. est instabile bonum, siquidem pendet ab incerto hominum iudicio & arbitrio. 3. quia non propter se est experibilis, sed propter virtutem, unde etiam dicitur *præmium virtutis*. Hinc & veri honoris notæ tres solent assignari, ut deferatur 1. à notis, cùm ignoti nequeant verum perhibere de aliquo testimonium. 2. à prudentibus, & qui judicare dextrè de virtute alicujus possunt. 3. propter virtutem. Secus enim non est verus aut jure competens, sed adulatorius honor.

TH. XIII.

**S**ummum Bonum non est in habitu Virtutis.

*Exd.* Hæc opinio fuit olim plurimum Philosophorum teste Lactant. Firmiano Lib. 3. Divin. Instit. Sed erronca est. 1. quia iste habitus potest etiam esse in dormiente & otioso. 2. immo etiam in calamitoso &

& misero, quos tamen verè felices ne-  
mo prudens dixerit. 4)

TH. XIV.

**S**ummum Bonum non est in divitiis.

**E**x 9. Quia divitiæ sunt violentæ &  
sæpè per fas & nefas acquisitæ. 2. reddunt  
homines petulantes & superbos. 3. non  
propter se expetuntur, sed propter usum.  
4. sunt instabiles & fortunæ casibus ob-  
noxiae.

TH. XV.

**S**ummum Bonum non est in Contem-  
platione Idearum.

**E**x 9. Quia 1. tales Ideæ non dantur  
quam thesin contra Preceptorem suum,  
Platonem ponit & defendit Aristoteles,  
salva tamen illius autoritate. 2. Quia licet  
daretur, non tamen studio & industria ac-  
quiri posset, siquidem vix mente est perce-  
ptibilis. 3. Idea est Universale & commu-  
ne quippiam: S. Bonum autem pertinet  
ad singulos. 4. Nemo ex artificibus Ideam  
curat. 5. neque etiam cognitio Idearum ad  
actiones civiles obcundas utilis est.

TH. XVI.



## TH. XVI.

**I**deæ Platonicae non dantur.

Exg. Socrates & Plato omnium rerum singularium dari communes seu universales Ideas statuerunt, adcoq; omnium bonorum quoque unam quandam finixerunt Idcam sive formam essentialem, per se alicubi existentem, à quâ omnia reliqua bona singularia suam habcent essentiam & notitiā: quam opinionem refutat Aristoteles sequentibus argumentis: 1. quia in bonis datur prius & posterius; ubi verò hoc, ibi nō datur communis idea. 2. quia bona sunt in diversis Prædicamentis: ergo non potest corum communis esse idea, cum non habent communem definitionem. 4. Boni non est una scientia. 5. Ideæ & rerum singularium eadem est definitio: Ergo concipiuntur ipsa.

## TH. XVII.

C. 7. **S**ummum bonum est ultimum & perfectissimum bonum.

Exg. Meritò dicitur *ultimum*, quia ad illud reliqua bona ditiguntur, in eo concurrunt, ejusque gratiâ omnia fiunt in vita hu-

humana. Perfectissimum vero bonum est,  
quia 1. propter se & non propter aliud ex-  
petitur. 2. est bonum auctus scipso contem-  
tum & sibi ipsi sufficiens. 3. accessione alio-  
rum bonorum in se non fit melius aut per-  
fectius. 4. quia non recipit ex conditione  
naturae suae magis & minus.

### TH. XIII.

**B**ona in genere considerata sunt di-  
versa.

Exhort. Vel enim considerantur. I. ra-  
tione finis, & tunc sunt vel imperfecta, quæ  
nunquam propter se, sed semper propter  
aliud expetuntur, ut pccuniæ & opes: Vel  
perfecta, quæ tum propter se, tum propter  
aliud expetuntur, ut Virtus & honor,  
doctrina, sanitas. etc. Vel denique per-  
fectissima, quæ tantum propter se expetun-  
tur, ut ἐὐδαιμονία s. felicitas. II. ratione  
subjecti, alia sunt bona animi ut ingenium,  
judicium, memoria, eruditio, etc. Alia  
corporis, ut sanitas, pulchritudo, agilitas etc.  
alia denique fortunæ ut honor, dignitas, o-  
pes, pccuniæ etc. Inter quæ præstantissima  
sunt animi bona i. quia sunt hominis pro-  
pria

pria bona: 2. perficiunt præstantissimam hominis partem videl. mentem & intellectum. 3. sunt stabilia, nec facile auferuntur. 4. Horum beneficio etiam cœterâ bona possunt comparari.

## TH. XIX.

**S**ummum Bonum sive beatitudo ci-  
vili, est operatio animæ rationalis,  
secundum virtutem optimam & per-  
fectissimam in vita perfecta.

Εὐθεσ. Hanc definitionem essentia-  
lem S. B. quæ Græcè sic habet : Εὐδαιμονία  
ἐστὶν ἐνέργεια ψυχῆς λογικῆς κατ' ἀρετὴν αἰείσην  
ηγή. τελειοτάτην, εἰ βίω τελέω. secundum  
suas partes operę fuerit precium explicare.

Constat verò Genere & Differentia.  
**G**enus est operatio: quia uniuscujusque rei  
bonitas & perfectio ex operatione ejus asti-  
matur, quod probat Aristot. inductione  
tum opificum & artificum, tum singulo-  
rum corporis humani membrorum, quæ  
rumdemum perfecta dicuntur, quando  
recte munere suo funguntur. Intelligi-  
tur itaque h. l. summum Bonum Præci-  
sum, non Theoreticum, quod est functio ani-  
mi

mi contemplativi secundum perfectam virtutem intellectualēm, quæ sapientia est, inclu-  
dens omnes cōteras particulares scien-  
tias. *Jac, Mart. Synops. Eth. lib. 1. p. 17.*  
*Differentis petitur i. à. causā efficiente; quòd*  
*sit operatio animarationalis: quia 1. est ani-  
mi bonum, non corporis. 2. quia cùm  
tres sint animę humanę facultates, scil.  
vegetativa, sensitiva & rationalis, priores du-  
as homo cum plantis & brutis communes  
habet, quibus tamen S. B. non competit,  
relinquitur, esse operationem, animę rati-  
onalis, quæ propria homini, quandoqui-  
dem & ipsum est *oikēiōv aya. Dōv* seu bonum  
proprium. 2. à *forma*: quòd sit operatio  
secundum virtutem optimam & perfectissimam:  
quia in S. B. non sufficit sola virtutis presen-  
tia, sed requiritur etiam ejusdem excellen-  
tia, quanta quidem humanis viribus potest  
comparari: Optimum enim & perfectis-  
simum Bonum, optimam quoque & per-  
fectissimam formam, h.e. virtutem requi-  
rit. Intelligunt autem plerique Interpre-  
tes Aristot. per virtutem optimam & perfe-  
ctissimam unamquamq. virtutem in excellenti  
gradu considerant. *Vid. Goliu l.l. Eth. c. 7.**

D

p. m°

p. m. 32. 3. à subjecto: in vita perfecta. Quibus verbis triplex indigitatur in subjecto perfectio. 1. etatis quæ sit matura, & ad minimum juvenilis: 2. judicij & rationis, quæ pertinet rerum experientia, & solida iudicij constantia. 3. temporis & actionis: Sicut enim una hirundo non facit ver; ita una actio non parit felicitatem. Et sicut non est breve & momentaneum bonum, ita nemo in momento redditur perfectus & beatus.

### TH. XX.

## 38. DE Definitione S. Boni accurate est agendum.

*Ex dicitur.* Definitiones enim numerantur inter principia; Principium vero rerum bene est constituendum. Etenim qui accurate cognita habet principia, jam diuidium propè eorum, quæ in aliqua disciplina traduntur, habet cognitum: eo quod ex notitia Principiorum deducamur in notitiam eorum, quæ sunt incognita. Hanc itaque rectè assignatam esse probat Aristoteles hoc C. 8. per singula membra, confirmatque Authoritate Veterum Philosophorum.

rum eorumq; in sententiæ de S. Bono cōvenientia. Quoad Genus quidem , quod poti' in actione, quam habitu Virtutis consistat S. B. quia operationes animi sunt præstantissimæ, & habent rationem finis: potentia enim datur propter operationem: & quia 2. beatum esse est benè agere. Et sic quoad reliquas etiam partes.

TH. XXI.

**B**ona externa (fortunæ & corporis) non constituunt S. Bonum, sed ornant & adjuvant.

Exd. Non sunt illa quidem causæ per se felicitatis, sed tamen sunt instrumenta virtutis melius exercendæ, sic v. g. robur corporis Fortitudini, divitiæ Liberalitati, possessiones Justitiæ exercendæ melius inserviunt. 2. Horum absentia S. Bonum non quidem penitus tollit, sed tamen obscurat & non nihil impedit. 3. Magna est cognatio beatitudini cum fortunæ prosperitate. Ille enim vulgo censetur felix & beatus, cui omnia prosperè succedunt.

TH. XXII.

**R**Ectè emittitur in Definitione S. Boni, voluptas seu jucunditas.

D 2

Exd.

**E**x. Est enim accidens, quod ad na-  
turā & essentiā S. Boni non pertinet. Intel-  
lige *Voluptatē animi*, quæ solavera est volup-  
tas, *non corporis*, quæ cum S. Bono nihil ha-  
bet commercij. Interim illa non penitus  
excluditur ab illa Definitione, quia 1. vir-  
bonus amat operationes secundum Virtu-  
tem; quod verò quis amat, hoc ipsi est ju-  
cundum. *Voluptas* verò est gratum conse-  
quens actionis virtuosæ. 2. Quia virtutum  
operationes per se sunt jucundæ & cum  
voluptate quadam conjunctæ: & 3. quia  
omne bonum est honestum & jucundum.

### TH. XXIII.

**A**ffectiones S. Boni sunt variae, a-  
deoq; distinguendæ.

**E**x. Plerique affectiones S.B. distin-  
guunt in essentiales sive internas, & acci-  
dentes seu externas. Illarum Dn. D. Jac.  
Martini l.c. numerat X, quod sit 1. θεόσθοτον,  
i.e. divinitus concessum. 2. ἀκρότατον καὶ  
τελείωτον τῶν πεντάτῶν: summum & perfe-  
ctissimum in actionibus humanis. 3. ἀυτο-  
κες, sibi ipsi sufficiens. 4. ἐκεῖον, proprium.  
5. τίμιον, honorabile. 6. δυσαιφαίρετον, sta-  
bile.

bile. 7. καθ' αὐτὸν αἱρετὸν, propter se expetibile. 8. θεῖον, divinum. 9. τολύκονος, commune multis, sive patens latisimè. 10 quod facit hominem τετράγωνον, quadratum, sive constantem.

#### TH. XXIV.

**S**ummum Bonum contingit homini  
divinitus.

Ex 9. Non quasi DEUS bona sua planè ἀμέσως homini largiatur, & absq; omni curâ ac labore: cùm Deus vendat nobis illa labore, Epicharm. Hinc quoq; tritū illud:

*Fortuna faber est quilibet ipse sua.*

Sed 1. quia DEUS est omnium bonorum, etiam minimorum autor. 2. præstantissimum bonum merito præstantissimæ causæ adscribitur. 3. quia est præmium virtutis, adeoque illâ præstantius; quâ tamen in rebus humanis nihil est præstantius. 4. multis est communis.

#### TH. XXV.

**S**ummum Bonum non est Fortuna.

Ex 9. Quoniam absurdum est, rem certam & quidem præstantissimam fortunæ adscribere incertæ. 2. Et quia est ab anima

50

nimâ rationali profectum , & per virtutem  
acquisitum. 3. crebris actionibus compa-  
ratum & per omnia vitam confirmatum.  
4. alias frustra de codem consequendo le-  
ges & præcepta darentur.

TH. XXVI.

**N**ec bestiae nec pueri sunt capaces  
10. summi Boni.

*Ex 9.* Brutum non esse subiectum  
felicitatis civilis probat Aristoteles hoc ca-  
pite, 1. quia ipsum, ut pote omni ratione  
destitutum, non potest agere secundum  
virtutem; Imò 2. brutis planè non com-  
petit actio propriæ dicta. Pueris verò Sum-  
mum bonum derogat Philosophus, 1. quia  
ob ætatis imbecillitatem carent meliore  
rationis usu. 2. nec habent virtutem per-  
fectam in vitâ perfectâ, sed variis fortunæ  
casibus sunt obnoxii. Quod si verò beati  
appellantur, sit illud propter spem futuræ  
virtutis & felicitatis, ex indole ipsorum  
præclara, aliisque futurarum virtutum si-  
gnis conceptam.

TH. XXVII.

**S**ummum bonum in hac vitâ potest  
Sacquiri.

Ex 9.

*Ex�eσ.* Causam dubitandi de veritate  
hujus theses olim præbuit Solon, qui Cræ-  
so Lydorum regi, utrum se beatum judica-  
ret, interroganti respondit, juxta Ovid, lib.  
3. *e Metamorph.*

*Ultima semper*

*Expectanda dies homini, diciq; beatus*

*Ante obitum nemo supremag; funera debet.*

Sed respondemus: Sententia Solonis vel  
accipitur de Mortuis, quasi illi deum sint  
beati civiliter: & tunc est falsa. Siquidem  
isti non possunt agere secundum virtutem.  
E. nec beatitudo civilis ipsis potest tribui.

Vel de vivis:

Et cum distinguimus inter summatam &  
perfectissimam felicitatem, qualis supra hu-  
manam sortem constitutis competit, nec  
in vivorum quenquam cadit: & inter hu-  
manitas perfectam, quæ virtus & naturæ huic  
congruit. Talem verò contingere posse  
homini probat Aristoteles, 1. quia causæ fe-  
licitatis, nempe virtutes, sunt in viventib;. Ergo etiam carum effectus. 2. quia dantur  
in hac vitâ operationes virtuosæ: E. datur  
etiam beatitudo. 3. Virtus est res certa  
& stabilis. E. etiam certa est & stabilis feli-  
citas.

citas: qualis enim causa est, talis est & effe.  
Etus. 4. Et si quis dici beatus post mortem  
potest, necesse est etiam fuisse beatum, an-  
tequam moratur.

## TH. XXIX.

**F**ortune casus beatitudinem civi-  
lem hominis auferre nequeunt.

Exd. Tὰ τυχία seu fortuiti casus ad-  
versi, si magni sunt & graves, dolorem qui-  
dem afferre, & vitam hominis beati afflige-  
re, imò & virtutis exercitium aliquadante-  
nus impedire possunt; Sed non penitus  
tamen adimunt: 1. quia beatus est is, qui  
ex virtute perfectè agit, sicuti miser dicitur  
propriè, qui est privatus virtutibus 2. Ethic.  
c. 1. & 2. quia igitur possessionem ejus, in  
quo felicitas consistit, non potest amittere,  
scil. virtutem, sequitur, quod nec felix esse  
desinat. 2. quia beatus seu vir bonus u-  
trumque fortunam fert decenter: miseriç  
itaque licet afficiant populariter; non ta-  
men essentialiter mutant aut tollunt bea-  
titudinem.

## TH. XXIX.

**F**ortune casus posteriorum perti-  
nent, etiam ad beatos defunctorum.

Exd.

53

**E**x. Effect enim ἀφίλος, inquit Aristoteles. seu ab amore naturali alicum, non affici mutuis commodis & incommodis: præsertim cum illa συμπάθεια non sit incorpore, sed in animo immortali: quia communis hominum opinio ita fert, quasi mortui etiam afficiantur quodammodo casibus posteriorum. Quicquid vero hujus sit, certum & indubitatum nobis est, quod casus isti, quicunque tandem sint, beatitudinem defunctorum non mutant, aut ex felicibus reddant infelices, aut contra.

TH. XXX.

**E**ffectus immediati Summi Boni sunt tnm Bona Conscientia, tum Voluptas honesta.

**E**x. Utrumq; enim ex S. Boni essentia, tanquam causa immediata fluit, adeò, ut illa posita, etiam hec ponantur & necessariò consequantur. *Bona quidem Conscientia definitur, quod sit notitia indubitata, conjuncta cum recordatione rectè cogitatorum, dictorum & factorum, cuius actio in excusando consistit.* *Jac. Martin. lib. I. d. S. B. c. b. p. 32.* Pleniora conscientiæ in genere considerat

ratę definitionem vide apud Dn. D. Bald.  
Lib. 1. de Consc. cas. c. 3. p. 7. Bresser. l. 1. de  
Consc. c. 2. n. 19. *Voluptas honesta* (hęc enim  
fola velut suboles est S. Boni, non inhone-  
sta, quę ex inhonestis actionibus provenit:) *est gratum consequens actionis virtuosa.* Vir  
bonus enim delectatur actionibus rectis &  
virtute profectis, casq; solas pro veris ha-  
bet voluptatibus, eò quod novit, virtutem  
rerum & actionum humanarum verissi-  
mam certissimamq; esse mensuram.

## TH. XXXI.

C. 12 **S**ummum Bonum non est bonum lau-  
dabile, nec gđētēgav sive neutrum, sed  
honorable.

*Exag.* Trimembris est hęc thesis, ic-  
cīco triplici probatione stabienda. Non  
esse Bonum laudabile, inde constat, quia est  
ex rebus optimis & pręstantissimis. His ve-  
ro laus non solet tribui. Laus enim tribui-  
tur illis rebus, quę referuntur ad aliud, tan-  
quam ad finem, v. g. virtutibus, & dotibus  
tum animi, tum corporis. Felicitas verò  
ad nullum aliud bonum refertur: est enim  
ultimus finis. *Neg̃ est Bonum Neutrum,*  
*sive*

**Sive intermedium:** Talia enim vocantur potentiae: qualis S. Bonum non est, sed potius est operatio, sive actus secundus. Relinquitur ergo, quod sit Bonum tipius, seu honorabile: 1. quia est præstantissimum: Uti enim res parvae laudantur; sic res magnæ, arduæ & divine honorantur. 2. quia est principium & finis omnium bonorum, ad quod omnia reliqua referuntur.

TH. XXXII.

**A**D Philosophum moralem pertinet, C. 13.  
consideratio virtutis.

Ex<sup>d</sup>. Quia in ejus operatione seu actu S. Bonum morale consistit. Cum itaque virtus ingrediatur definitionem S. Boni, necessariò ejus cognitio h̄ic quoque requiriatur. 2. Præterea Philosophi practici munus & scopus est, viros bonos & cives legibus obtemperantes efficere, quod sine cognitione fieri nequit.

TH. XXXIII.

**P**Hilosophus moralis animum humandum quoq; debet cognoscere.

Ex<sup>d</sup>. Estenim animus subiectum Virtutis. Sicut igitur Medicus considerare

re debet corpus, in quod agere, & cui mederi cupit: ita & Ethicus animum consideret, necesse est, quem informare & virtutibus imbuere constituit.

TH. XXXIV.

**D**uae sunt principales animibumani facultates seu potentiae.

Exher. Generalem potentiarum animalium cognitionem sufficere hoc loco ratus Aristoteles, varias tantummodo earum species enumerat. Principales constituit duas: λογικὴν, rationalem; & ἄλογον, irrationalēm. Illa est duplex: vel θεωρημονικὴ, seu intellectiva, quā res, & earum causas cognoscimus. Vel λογιστικὴ, ratiocinativa, quā de rebus faciendis vel fugiendis consultamus & deliberamus. Irrationalis itidem duplex est: vel φυτικὴ, seu vegetativa, quę nihil cum ratione communehabet: complectiturq; tres potentias, θρεπτικὴν, nutritivam; αὐξητικὴν, augmentativam; & γεννητικὴν, generativam: Vel est ἐρεπτικὴ seu appetitiva, quę aliquid cum ratione commercij habet, (quatenus ab ea regi potest,) quā res objetas aut persequimur aut fugimus: & hujus duę vicissim sunt potentias, θυμαιδῆs, irascibilis.

bilis, & θηθυμητη, concupiscibilis: Ex quib<sup>9</sup>  
posterior, scil. ἐρεκτικη seu appetitiva pro-  
priè tantum pertinet ad Ethicam, quæ do-  
cet, quomodo affectus ratione sint regen-  
di & domandi, nemodum excedant. Hanc  
distinctionem verò potentiarum animi  
propterea subjicit Aristoteles, ut ostendat  
differentiam Virtutum in XI. morales, & V.  
Intellectuales seu Dianoeticas, de quibus  
Lib. seq. ex professo acturus erat.

## TANTUM DE LIBRI I. CAPI- TIBUS.

### SUPERPONDIA.

- I. An Logica, cùm dicatur χεὶρ Φιλοσοφίας &  
ὅργανος ὅργανων Aristoteli, ad reliquias Di-  
sciplinas capessendas sit necessaria? Disting.
- II. An praecepta Ethica juventuti, in scholis cele-  
brioribus versanti, sint proponenda? Affirm.
- III. An homo possit plures fines ultimos habere  
propositos? Neg.
- IV. An possit actu felix dici in magnis miseriis  
constitutus? Affirm;
- V. An Oratoribus dandus locus in civitate?   
Affirm.

Ex-

Excitatæ indolis Iuvenj,  
ad patrias tendenti laudes,  
Divinam benedictionem!

**F**ortis eques. claros palmae quo prenset  
honores,  
Ad metam properat non remorante  
gradu.

Ingenium pariter, quod Phœb<sup>9</sup> ad ardua finxit,  
Palladis in Stadio clara brabeja cupit.

Hinc pectus fodicat generosum vivida virtus,  
Laudis amor cupidum nocte dieq<sup>9</sup> lacit.

Hoc calet igne, BONI SVMMI succensus amore,  
RITTERVS, Sophies tentat adire tholos.

Pergito Palladium, RITTERE, capeffere cursum,

Palladis & Themidos sic eques acer eris.

Non opus hortatu; stadium decurris alaci  
Mente: BONVM SVMMUM meta laboris erit,

īvērēgālws wapēdaw

PRÆSES.

**S**ummum quare Bonum, quaestum exer-  
ce Beatum

Te bonus & qui vis dicet, erisq<sup>9</sup> bonus.

Absque verborum multitia juveniā  
morum & studiorum laude appri-  
me commendabili ēudāq<sup>9</sup> uovēsālā  
quaq<sup>9</sup>; in studiis academ. apprec.  
Lm̄q<sup>9</sup>; adj.

M. Job. Cammerhofius  
Gymn. Hall. Conr.

Ornatiss. Juv. Johanni Baptista Rittero

Ethicè disputanti.

**I**ANE mi, perdocte nepos Minervæ,  
Qui lubens ædes Ethicæ saceratas  
Mente lustrâsti vigili, Themistos  
Instar alumni.

Tecano jam Palladus aginosa  
Militem, cultæq; Ethices sodalem  
Strenuum, quicquid placuit perenni  
Disserenisu.

Te, bibas cum fervidore fauce  
Sapim dulcem laticem caballi  
Phocidos, magno celebris brabejo  
Cinget Apollo.

Tupias palesis recreas Camenæs  
Moribus: linguâq; gravem reflectis  
Mellea Suadam, superis docentum

Gratus Grimis.

In perpetuam Amicitiz tessera  
benivola mente adjiciebat

B. M. P. B.

**D**iversos divertia juvant, ait complacet hocce  
Quod RITTERE bonū suscipis ipse modo  
Dum bene moratus concendis pulpita Phœbi  
Civilis promens lemata docta virti  
Summi perge Boni magnam contingere partem,  
Sic Evander eris, docta bracea ferens.

Sic currente crena Amico tuo  
amicissimo proper.

Fabian Calevius, Merung, Præf.

Ornatisimo & præclaræ Spei Iuveni  
JOHANNI BAPTISTÆ RITTERO,  
Ethicè disputanti, S.

**H**AUD nos una tenet cura, nec omnibus  
Mens concessa eadem. Querit at hic trabe  
Per vastum pelagum regna potentia.  
Illum castra juvant, & lituo tubæ  
Permisius sonitus, bellaq; tristia.  
Hic fœcunda suorura colit bove,  
Committitq; timens pauperiem malam,  
Sulcis Triptolemi pinguis munera.  
Longè temelior cura trahit, mala  
Dum mundi removes gaudia, dum juvant  
Artes ingenuæ te penitissime,  
Splendentisq; rapit mox Ethices nitor.  
Hinc perdocta modo Lemmata ventilas,  
Hinc promis meritò primitias tuas.  
Hinc te mox capiet Pieridum Domus.  
Ad nisu's licitos pergito! pergito!  
Et nunquam genii destrue flammulam.  
Sic lauri tua mox tempora Delphicâ  
Omninò Dea cinget Sapientiæ,  
Aclumen patriæ, Turdiens, eris.  
in perpetuum amicitias lxxvijgrov  
hæc scribeb.

Johannes Olearius  
Hall. Sano,

65604

Mölln mit Noten


**ULB Halle**  
007 397 542

3



VD 19







2

Fortunante Christo!  
EXERCITATIONUM ETHICARUM  
ad Ethicor. Aristot. Nicomachior.  
LIBRUM I.  
PRIMA  
DE  
SUMMO BONO,  
PRÆSIDE  
DN.  
FRIDERICO CAHLENO  
M. & P. L. C. Gymn. Hall.  
Rector,  
Respondente,  
JOHANNE BAPTISTA RITTERO  
Hallensi Saxone  
Academiam capessente,  
Habenda D. Augusti  
A. O. R. clo. loc. LV.  
H. L. Q. S.  
Prelo OELSCHLEGELIANO.